# SPECIMEN
## INAUGURALE
## PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICUM
## DE
# IRRITATIONE MORBIDA,

QUOD FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS CAROLI FRIDERICI HAUFF,

ORD. MATH. ET PHYSICORUM PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA GANDAVENSI

RITÈ ET LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ ET CORAM SENATU ACADEMICO DEFENDET

FORTUNATUS-MARIA-JOSEPHUS-THERESIA GUIETTE,

*BRUXELLENSIS*,

DIE XXII DECEMBRIS ANNI MDCCCXXVI, HORA XI, IN ÆDIBUS ACADEMICIS.

GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.

PARENTIBUS

SACRUM.

# SPECIMEN

## INAUGURALE DE

# IRRITATIONE MORBIDA.

Quod hìc discutere aggredior non sanè in medicinâ novum. Multi de hâc re scripserunt, quin et singulâ die scribunt auctores. Sed tot ortæ sunt controversiæ, ut difficillimum sit rectâ incedere viâ. Arbitratus sum igitur, nonnullam superesse laudem, tyroni præcipuè, si arduum hoc rei medicæ punctum sat benè sibi perspectum probaret. Non mihi mens est irritationem morbidam hìc totam complecti; vetant nempè arcti dissertationis limites. Inquirere tantùmmodò mihi propositum habeo an irritatio morbida ejusdem sit naturæ ac irritatio normalis, et quænam indè sint deducenda.

Si phœnomena repetimus quibus organica ab inorganicis distinguuntur corpora, corporibus tres reperimus conditiones, quibus sublatis, tollitur vita : 1.° organa requiruntur plus minùsve simplicis texturæ, pro animale cui pertinent; 2.° necesse est adsit proprietas, per quam ab externis corporibus affici, contràque eadem reagere

possint : proprietatem hanc, quæ diù multiplex fuit habita, vicissimque sensilitas, contractilitas, irritabilitas, motilitas, etc. secundum auctorum opiniones dicta, non meliùs quàm attractionem callemus; 3.° accedat oportet corporum actio quæ vulgò excitantia, stimulantia, appellamus; nam, si abesset, organa, vitali licet prædita proprietate, ad inorganicam redirent classem.

Indè elucet vitam tantùm actione et reactione constare, actione stimulorum, reactione organorum. Nil aliud est irritatio quàm hæc continua actionis reactionisque vicissitudo. Quamdiù certos non prætergreditur limites, quamdiù tali viget gradu ut omnes ad naturæ scopum unà concurrant functiones, tamdiù *normalis* dicitur irritatio. Nam minimùm ne quidem in œconomiâ datur phœnomenon quod absque irritatione locum habeat. At impositum sibi si excedit gradum, quot oriuntur nova in statu sano non observanda! Quot sæpiùs incognita apparent! Tunc irritatio, quæ omnia hæc phœnomena procreavit, *morbida* vocatur.

Quæritur an omnes omnium generum morbi (1), superante deficienteve stimulatione, excitatione, irritatione normali (nam nomen parvi refert) producantur, vel, quod idem sonat, majori minorive functionum energiâ constent?

Hoc quicumque nonnullos jam observaverit ægros, statìm, re nundùm intùs perspectâ, quasi spontè negabit. Videamus an ratiocinio et experientiâ hæc comprobetur opinio : utrùm morbus reipsâ functionis excessu gignatur nec-ne, tantummodò judicare possumus per phœnomenorum unius cûm alterius phœnomenis comparationem; si functiones majori minorive vigeant energiâ, tunc modo dicere licebit morbum esse statûs normalis augmentum vel imminutionem. Principium istud verissimum reperio, cum agitur de morbis per debilitatem, vel de hypertrophiâ aut de uberiori liquidi normalis secretione. Asthenia, nutritionis defectum secuta, variæ hydropum

---

(1) Non hìc de morbis causâ mechanicâ chæmicâve productis agitur.

species, cordis supernutritio, pinguèdinis secretio major, etc., nobis exempla præbent : nil etenim hìc observamus præter solita sanitatis phœnomena aucta vel imminuta, et quùm excitationis gradus per functionum activitatem existimatur, deducere possumus morbum illarum excessu aut defectu tantùm constare.

Quæ prædictis in circumstantiis vera conclusio non omnibus applicanda mihi videtur morbis, quos vulgò irritationes, vel, ut ait Broussais, *superirritationes* dictitant. Hoc nobis facile liquebit inquirentibus quodnam sit inter excitationem, normalemve irritationem, hujus irritationis augmentum et irritationem morbidam discrimen.

Per excitationem organa, vitali proprietate prædita, in actum naturaliter ducuntur. Sic cor, pulmones, musculi, physiologico modo, alii sanguine, alii fluido nervoso excitantur, hæcque normalis necnon necessaria excitatio functiones vitamque fovet. At si fortior per tempus plus minùsve longum perstat, si priori nundùm exstinctæ nova jam succedit excitatio excitationi, organum, hujus sedes, nimiùm exercetur, et neminem fugit, partem quamcumque, quùm fortiùs cæteris agit, tandem vi volumineque prævalere, circulationemque capillarem majori vigere energiâ, ut monstrant pistorum brachia quorum musculi deltoïdei ingenti ferè semper mole superbiunt. Mihi non desunt hujus naturæ exempla. Quis non jam crassas saltatorum suras animadvertit? An adolescentes, qui præmaturè stuprum manu committunt, genitalia non citiùs quàm alii adulta præ se ferunt? Porrò continuum hoc exercitium, ingens istud incrementum ex irritatione normali, organique functione exaggeratâ nascuntur.

Sed idem non observandum est omnibus in irritationibus pathologicis; sæpissimè contrà capillaris impeditur circulatio, jamque ibi stagnant liquida ubi adest irritatio de quâ loquimur. In asthmate, v. g., extrà omnem dubii aleam habemus pulmones non sanguinis copiam solitò majorem admittere; contrarium ex livido faciei colore suffocationisque sensu apparet. Ægrorum, istâ affectione laborantium, pulmones nulla auctæ nutritionis vestigia præbent, nec hemathosis

fit alacrior, quod pateret si asthma nil esset quàm irritationis normalis augmentum. Non aliter dicendum de plerisque spasmis inter quos eminent stomachi, intestinorum, uteri, etc., nevroses. Prolatis in exemplis irritationem morbidam non comitabatnr liquidorum affluxus, sed alia dantur et fortassè numerosiora ubi liquida irritatum petunt organum. Qui casus duplicis sunt generis :

1.° Frequens evenit ut pars irritata, majori quantitate recepta detineat liquida, undè tumor, dolor, calor et rubor, uno verbo, vera oritur inflammatio. An hæc nova phœnomenorum, quæ in statu observamus physiologico, solùmmodo habenda sunt augmentum? Non is sum qui hoc non lubens admitterem, si pars irritata, nedum otiosa, vel si non otiosa, saltem repugnantes sanitati motus præbens evaderet, suo nervosiùs fungeretur munere, textuque fortiori valeret. Sed contrarium singulâ die medico patet. In gastritide, v. g., quam omnes irritationem morbidam, cujus inflammatio sequela, existimant, tantùm abest ut stomachus fortius citiusque digerat, ut contrà dulcissima rejiciat potulenta, parumque cum digestione congruentes edat motus. Quis nil præter irritationis normalis augmentum variis in cerebri affectionibus videbit? Quis eodem modo materiei sui generis effusionem explicabit quam in abdomine hominum peritonitide confectorum invenimus? An jam semel irritatio normalis membranarum mucosarum, maximum licet adepta gradum, polypos unquàm progenuit? Non equidem arbitror : supernutritionis sedes evadet ista membrana, sed nil procreabit corpori alienum.

Me tamen non præterit complures affectiones, quarum sequela desorganisatio ferè semper funesta, et quæ ideò physiologicæ irritationis augmentum non sunt habendæ, talis nihilominùs indolis in initio esse. Mox gastritidem citavimus. Cujus causas inquirentes videmus illam non raró à majori normalis excitationis gradu originem trahere. Quàm multi, lautum opimumque victum colentes, cibis potulentisque excitantibus abutuntur! Primò superexcitatur stomachus, sed excitatio hæc nondum statûs physiologici limites transgressa est, sed gulæ irritamentis sæpiùs renovata, tandem mor-

bida evadit. En, ni fallor, exaggerata sanitas. Eâdem verò vitâ diùtiùs protractà, morbida hæc irritatio, primò levis parumque periculosa, sensim sensimque naturam mutatur, organumque ad ruinam vergit. Quis hîc non mirabitur quantum sit nascentem inter et adultam irritationem discrimen.

2.° Aliis in casibus, quæ ad partem ægrotantem attraxit liquida irritatio pathologica, forâs prorumpunt. Non hìc inquiram quo fiat hemorrhagia modo. Nobis sat erit scire irritationem normalem nunquàm produxisse hemorrhagiam, nullius unquàm desorganisationis causam fuisse, ut non fit rarò de pulmonibus, cùm sæpiùs irritatione hemorrhagicâ laborârunt. Nonnulli fortassè objicient irritationes hemorrhagicas et hemorrhagias dari salutares, ut epistaxis. Salutares sunt, equidem fateor, at sedem habent partem simplicem, nec plus æquo frequentes esse debent. Prætereà in homine sano nullum adest phœnomenon cujus hemorrhagia gradus sit?

Insuper si irritatio morbida eadem esset ac normalis exaggerata, sympathiæ à priori natæ gradu tantùm differe deberent ab illis quas parit altera; quod verò experientia admodùm rarò confirmat. Quænam sit, v. g., hepar inter et scapulam dextram physiologica sympathia nescimus; illam ne minimum quidem prodit signum. In statu morbido una tamen manifestissima doloreque imprimìs notata apparet. Quænam physiologica intestina inter et nasum pupillamque sympathia exaggeranda sit ut morbida oriatur sympathia, quam demonstrant nasi pruritus, pupillæque dilatatio? An normalis in homine sano hepar inter et quamvis corporis aliam partem datur sympathia, cujus excessus illum ad manu sibi vitam exhauriendam cogere possit? Nùm solidiori nexu sani agrotantisque uteri inter se ligantur sympathiæ?

Dum viget sanitas, sympathicis vinculis nectuntur generationis vocisque organa; an ideò apud fœminas, hystericâ passione cruciatas, globi versus pharyngem ascensio horum vinculorùm gradus habenda est? Sed hoc fortassè sensuum pravitati vel istis convulsionibus, veræ epilepsiæ imagini, applicandum.

In statu morboso vix ullum reperies organum cujus affectio non sat violenter à corde percipiatur, ut illius pulsus vi numeroque augeantur; attamen neminem fugit quàm difficile sit vel levissimum inter hoc viscus et plura organorum systemata, ut ossa, ligamenta, membranæ fibrosæ, musculi, textus cellularis, etc., physiologicum detegere nexum. Si res ità se habent, quis affirmare audeat sympathiam quamdam ab aliâ gradu solum differre, quum hæc non noscitur?

Quin calculo hæc solvi potest quæstio. Quot noscuntur physiologicæ sympathiæ? Numerus admodùm contractus. Quot pathologicæ? Numerus admodùm magnus. Quarum igitur maxima pars priorum excessus haberi non potest; morbida igitur irritatio non est semper normalis excessus irritationis. Præthereà morbidæ sympathiæ, quum physiologicis respondent, illarum non augmentum, sed imminutio potiùs apparent. Sic physiologica uteri excitatio mammis communicatur, lacque nonnunquàm secernitur; pathologicâ contrà collabuntur mammæ, supprimiturque lactis secretio.

Physiologica uberis irritatio sympathicam uteri provocat; pathologicâ per lochia metritidemve superveniente, supprimuntur illa, hæc verò mirum in modum imminuitur.

Ex his concludere licet prædictam quæstionem multis in circumstantiis negando solvendam esse. Hìc animadvertendum est irritationem morbidam, ut jam injecimus, sæpissimè per ejusdem morbi decursum naturam mutari. Sic variam in acutâ peritonitidis periodo et quum hæc ad suppurationem tendit esse irritationem varia monstrant symptomata : innumeris exemplis hoc illustratur, ità ut multæ irritationes morbidæ, naturâ speciali conspicuæ, in initio nil nisi normalis excitationis augmentum fuerint.

Sed morbida irritatio non solùm à normali, sed à semet ipsâ naturâ differt. Omnes sænè conveniunt irritationem comitantia per phœnomena manifestari; quùm autem varia variis in textibus apparent phœnomena, varia quoque subest irritatio. Quod tùm normali cùm morbidæ irritationi applicandum : si quis dubitet phy-

siologiam et pathologiam adeat. Quot sunt textus, tot normalis anormalisque irritationis species admittendæ sunt. Hùc adde quod idem textus multiplici laborare possit irritatione. Simplex igitur divisio, quæ vià rationeque medicum duceret, maximâ redundaret utilitate. Quod jam tentârat Marandel suâ in dissertatione quam, anno 1807, coram Parisiensi facultate defendit : irritationes diviserat : 1.° in sic dictas *nutritivas*, quibus crescebat organi volumen, raròque aliarum partium oriebatur consensus; 2.° in *secretorias*, quæ præcedentibus numerosiores à se invicem secretâ materie differebant; 3.° in *hemorrhagicas*, liquidâ irritatione attracta distendunt vasa brevique vel in textum cellularem, vel in serosas cavitates, vel foràs irruunt ; 4.° denique in *inflammatorias*, quæ irritationis phœnomena exhibent manifestissima. Quinque harum admittit species Marandel : adhæsivas scilicet, essentiales vel acutas, gangrenosas, chronicas et exulcerantes.

Hâc divisione non omnes nobis videntur distingui atque comprehendi irritationes pathologicæ, ut mox liquebit. Dividi posset irritatio secundùm systemata quæ afficiuntur. Quod certè inutile non foret, nam eodem modo nervosi sanguineique systematis irritationes non tractarentur.......

At irritationis morbidæ natura sæpissimè, et fortassè semper, à causâ dependet; et si nonnunquàm evenit ut causis non similibus irritationes nascantur quas similes habemus, puto hanc opinionem ex eo fluere quod discrimina observare nescimus. Nostram de hâc re ignorantiam morbi vulgò grassantes potissimùm testantur. Quidquid sit, mihi secernendæ videntur in duas classes majores quarum :

Prior *irritationem normalem auctam* comprehendit. In hoc genere numerantur et hypertrophia et major liquidi normalis secretio, sicut pinguedinis, bilis, urinæ, muci quem suppeditat mucosa intestinorum, salivæ, sudoris, perspirationis pulmonum, etc. Hæ abnormitates, hi functionum excessus cum sanitate non semper non congruunt. Quot non reperiuntur homines optimè valentes, invitâ obesitate. Hepar apud alios mirandum in modum agit. At certi sunt

limites quos non impunè hæc transgreditur irritatio, quosque difficillimè definire possumus. Temperamentum lymphaticum, v. g. in systematis lymphatici majori energiâ constare omnes nôrunt, sed quis unquàm temperamenti lymphatici finem, scrophularumque initium dixit? Fortiùs auctâ irritatione normali, sese contrahit cor; activè, id est, per nutritionis incrementum dilatatur, nec tamen turbantur functiones; at si sat increvit irritatio, morbus adest, quin et sæpè sufflaminatur æger.

Phænomena quæ hanc inter et alteram classem ponunt discrimen, consistunt in abundantiori affluxu imprimis liquidorum materiem nutritioni propriam, motibusque necessariam vehentium : undè augetur volumen, crescit et functionis energia, simulque illius reliquam in œconomiam momentum. Idem de organis secernentibus pariter observatur; majora fieri solent, secretumque liquidum uberius.

Causæ sunt præsertìm solitorum stimulorum excessus, dum in classe sequenti alius sunt potiùs stimuli naturæ.

Genus hoc irritationes continet quas Marandel nutritivas dicit, continet et etiam nonnullas secretorias. Cæterùm rariùs pathologicis sympathiis dat originem.

2.° Altera *irritationis normalis aberrationes* comprehendit. Classis hæc, multò numerosior, morbos dissimillimos complectitur. Quæ ex eis oriuntur sympathiæ non frequenter physiologicarum sunt excessus, ut in priori ordine. Sæpissimè novæ exsurgunt quas sola illustrat pathologia; aliàs oppositæ sunt iis quas apud hominem sanum observamus.

Omnes hujus generis irritationes non comitatur liquidorum affluxus. Ex prædictis jamjam videndum est aphorismum hunc omnibus notum : *ubi stimulus, ibi fluxus*, non semper admitti posse. Hoc frequentissimè equidem fateor animadverti. Sic per digestionem primò ad ventriculum cùm elaboratur chymus, dein ad intestina tenuia cum secernitur chylus, ad crassa deniquè, cum perficiuntur feces, adveniunt liquida. Idem de plerisque pathologicæ irritationis casibus, et hoc respectu ad irritationem normalem accedere videntur : sed quàm varius exitus!

Unum fortassè nimiùm negligitur, fluidorum hunc affluxum tantummodò locum habere, cùm vel primitivè vel secundariè systema vasculare, sive sanguineum, sive lympathicum, irritatur. Nonnescio aliquos mihi objecturos systema vasculare, omnibus organis commune, non semper irritari difficillimum esse. Commune est, concedo; at si objectio hæc vera sit, ex eâ iterùm concludo aphorismum de quo agitur non verùm semper probari, quùm facta contraria narrantur de quibus dubitare nefas esset. Inter plura quæ hìc referre possem, sequens, à Frankio conscriptum, sat conspicuum est (1). Juvenis quidam ceciderat nescio quod in corpus durissimum, testesque intumuerant et ægrotanti maximis erant doloribus. Nosocomium vienense adiit, quo, assiduis curis, remediisque benè directis, tandem ad statum naturalem inflammata redierant organa. Sed redeunti testium sanitati successit epilepsia ad singulum accessum. Atroces testiculorum præcedebant dolores quibus finem imponebat epilepsia. Accessus in initio admodùm rari erant; sed sensìm sensìmque brevior fiebat intermissio, ità ut deniquè novus quotidie ingrueret insultus, summoque in periculo versaretur æger. Omnibus incassùm exhaustis remediis, celeberrimus Frank statuit testes illi resecandos: quo facto, evanuit epilepsia, juvenisque integrè sanatus fuit. Sed nullum fluidum, copiâ vel qualitate peccans, in testibus repertum est (2). Quo mirissimo facto probatur, ni fallor, irritationes dari quæ sædem habent unicum systema nervosum, quibusque non observatur *ubi stimulus, ibi fluxus.* Quum irritationem hanc non semper comitatur liquidorum affluxus, illam duplicem habendam censeo.

1.° *Irritatio liquidorum fluxu non stipata.* Ad hanc referendi sunt plerique morborum quos *spasmos* dicunt auctores. Istius naturæ jamjam injecimus esse asthma. Non hìc multus ero de harum affectionum signis; unum hoc attentione dignum monebo: diù creditum

---

(1) Illud sæpius nobis retulit suis professor *van Rotterdam* in prælectionibus.

(2) Vide Joseph Franck, prax eos medicæ universæ præcepta, vol. 1, part. 2, sec. 2, pag. 369—372, in not. 8.° Lipsiæ, 1821.

est spasmos per organi laborantis contractionem notari, ut vox ipsa spasmus à σπαω derivata, significat. Recentiorum autem ex observatis constare videtur nonnullos esse spasmos permanenti contrà expansione conspicuos. Talem profitetur Victor Prus (1) opinionem, imprimis de asthmate, tussi ferinâ, hysteriâ tussis ferinæ exemplum sequens à professore Cayol (2) observatum refert :

*Henri-Alexandre Lajoie, âgé de trois ans et demi, assez gras, ayant les cheveux blonds, les yeux bleus, entra à l'hôpital des Enfans, le 30 janvier* 1808. *Il toussait depuis trois mois par suite d'une coqueluche. La toux revenait par quintes à des intervalles de plusieurs heures, et était suivie d'une expectoration abondante, liquide, jaune, excessivement fétide et tout-à-fait puriforme; quelquefois cependant il s'y joignait un peu de mucosités.* . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Le 3 février, on remarqua que le malade était toujours couché sur le côté gauche; on percuta ce côté de la poitrine qui rendit un son mat; on y appliqua un vésicatoire. Depuis le* 14 *février, l'enfant dépérit très-rapidement; les trois derniers jours l'expectoration diminua, et enfin le* 15 *février elle se supprima entièrement. L'enfant fut tout le jour dans un état d'accablemsnt; le soir il commença à pousser des cris aigus, qu'il ne discontinua pas jusqu'à onze heures. Un moment après on le trouva mort.*

Ouverture faite 36 heures après la mort. *Il n'y avait aucun épanchement dans les cavités séreuses. Les poumons s'affaissèrent peu après l'ouverture de la poitrine. Le gauche était faiblement adhérent à la plèvre costale dans toute sa moitié inférieure; son lobe supérieur, de couleur fauve-claire, était libre, léger et crépitant; mais le lobe inférieur était dur, pesant, d'une couleur violacée, livide à l'extérieur. Par une incision longitudinale profonde et une*

---

(1) De l'irritation et de la phlegmasie, chap. 3, sect. 1, pag. 112 et suiv.

(2) De l'auscultation médicale, tom. I, pag. 128.

*légère pression, il en sortit au moins une once et demie de liquide purulent et fétide, semblable à celui que le malade expectorait. Ce liquide était contenu dans une multitude de cavités rondes, lisses, très-rapprochées, communiquant très-fréquemment entre elles, et séparées par des cloisons minces, dont l'aspect avait quelque chose d'analogue aux colonnes charnues du cœur. Les plus grandes de ces cavités auraient pu loger l'extrêmité du doigt; d'autres plus nombreuses auraient contenu un gros pois.*

*Un examen attentif nous convainquit, M. Laënnec et moi, que que toutes ces cavités se prolongeaient en conduits qui aboutissaient par un trajet plus ou moins long et dans des directions différentes jusque dans les bronches dont elles étaient évidemment la suite. Au moyen du bistouri conduit par la sonde canelée, j'ouvris environ huit ou dix de ces ramifications dans toute leur longueur, et je vis distinctement que chaque rameau bronchique, après un trajet d'environ un demi pouce dans le poumon, se dilatait considérablement, augmentait de diamètre en s'éloignant du tronc, et enfin se terminait par un large cul-de-sac à une ligne ou deux de la surface du poumon. Vers leur terminaison, la plupart auraient pu admettre le petit doigt, d'autres pouvaient contenir un tuyau de plume ordinaire. Dans leur trajet ils donnaient quelques rameaux qui se terminaient aussi en culs-de-sac après une étendue de deux pouces au plus; tous contenaient plus ou moins du liquide purulent dont j'ai déjà parlé. La muqueuse était partout d'un rouge foncé et livide qui n'était point affaibli lorsqu'on avait enlevé la couche de sang dont elle était enduite; cette membrane était notablement amincie; examinée avec le plus grand soin, elle n'offrit pas la moindre altération, et il était évident que le pus expectoré par le malade avait été sécrété par elle.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Longâ ex hâc sedulòque factâ observatione non omninò inanis patet opinio cujus hìc mentionem injeci. Mihi quidem non multo abhinc tempore juvenis asthmate mortui cadaver fuit secandum, nec quid-

quàm præter pulmones suppuratione aereque refertos inveni ; quod fortassè mihi dilatationem hanc ignoranti ideòque non sat benè observanti tribuendum. Quidquid sit, non supervacuum esset hujus naturæ facta novâ illustrare indagatione et inquirere utrùm idem sit de stomachi, intestinorum, uterì, spasmis, ut asserit auctor quem mox citavi.

Cæterùm non raró irritationes has insequitur irritatio altera undè major liquidorum affluxus quin et ipsa organorum destructio : quod nemo propriâ non comprobavit experientiâ.

Quum sæpissimè utramque eâdem in parte simul reperias, indè inutile fortassè judicabis harum discrimen. Maximi tamen est momenti ut medicus noscat utra alteram produxerit; nam hoc nesciens, non nisi difficillimè et cum magno ægri periculo, morbi curationem tentabit.

2.° *De irritationis normalis cum liquidorum affluxu aberratione*, Cujus generis irritatione omnia ferè organa affici possunt; omnium etenìm parenchyma vasa sive sanguinea sive lymphatica continet. At quamquam frequentes nascantur, non tamen tam communes apparent quàm nonnulli existimant; quin et mirum in modum causà temperantur occasionali ; quod procùl rejiciunt quidam ardentiores physiologicæ doctrinæ fautores quibus nullum ampliùs jam virus existit. Hos inter eminet Dublet qui vehementer in generalem de syphilitide opinionem invehitur (1). Nos verò frequentissimam quidem, sed multiplicem hanc irritationis morbidæ speciem quæ præternaturali liquidorum congestione stipatur, habemus. Sic discrimen faciendum est inter :

a. *Irritationes hemorrhagicas et inflammatorias*. Quas ejusdem utpotè indolis, non secernemus ; utrinque etenim eadem causa,

---

(1) Vide : Recherches physiologico - pathologiques sur la nature de la maladie vénérienne, par M. Dublet, t. v, pag. 376 et suiv. des Annales de la Médecine physiologique.

Homo quidam, corpore magnus, siccus facie pallidâ, optimâ fruitus valetudine, aliquantulum panis vinique aquâ mixti sumpserat, cùm subitò horrendis correptus doloribus, ventrem manibus, ut levaretur, comprimere cogebatur. Sed intrà duodecim horas ad patres migravit. Stomachus ad minorem curvaturam, non procul à pyloro, foramine patebat lineâ cum dimidiâ magno, rotundoque ac si instrumenti ope instructum fuisset. Potulenta in abdomine erant effusa.

Si celeberrimo professori Chaussier qui difficile hoc pathologiæ punctum studio illustrare conatus est, fides sit adhibenda, irritationi primariæ specialique tunicarum stomachi per quam acre, corrosivum secernitur liquidum, tribuere debemus horum ulcerum causam. Quidquid sit, videamus modo quid locum habeat, cùm ulcera sic dicta atonica formantur. Præcedit primò inflammatio erysipelate quàm phlegmone propior, per quam vasorum absorbentium partis ægrotantis malè augetur actio, eroditurque majori minorive spatio cutis. Porrò hujus quam *ulcerativam* dicit hunter, inflammationis peculiarem monstrant indolem comitantia symptomata : dolor rodeus, tumor quasi nullus, erosio denique et fluidi anormalis secretio. Præterea ista resolutione nunquàm evanesit inflammatio. Peculiaris igitur si adest inflammatio, peculiaris admittenda est irritatio; non etenim datur inflammatio absque irritatione.

c. *Irritationes generatrices.* Ex his originem ducunt tumores scirrhoïdei, carcinomatosi, tuberculosi, etc. Quos certi non parit physiologicæ irritationis augmentum, sed sui generis irritatio quam non semper comitatur inflammatio (1).

Alias hìc sanè enumerare potuissem irritationis species; sed, ni fallor, è prægressis jam sat luculenter patet quantùm pro textu cau-

(1) Suo Bailly in opere cui titulus : *Traité anatomico-pathologique des Fièvres intermittentes, simples et pernicieuses*, idem scripsit de inflammatione. Ontologiam colere illi ipse videtur Broussais, quum morbum quemcumque inflammationem dictitat; rerum nomina, inquit, mutata fuerunt : febribus successit inflammatio, cunctæque affectiones ad unam eamdemque immeritò rediguntur.

sâque, irritatio differat. Quot nunc nova oriuntur discrimina, si temperamentum, idiosyncrasiam, ætatem, sexum, etc. consideremus? Sed quidnam ex his concludendum sit videamur.

Quod si irritatio morbida non semper ejusdem sit naturæ ac irritatio normalis exaggerata, nec prætereà omnibus in casibus sibi contet, sed textu causâque occasionali indolem mutare valeat, jure concludimus non omnes irritationes eodem modo tranctandas, singulam autem suo modo curandam. Sic hemorrhagicæ inflammatoriæque irritationes antiphlogisticis, venæ sectione sanguisugis, etc. etc. debellandæ sunt. Quæ autem hoc in casu efficacissima remedia, contrà affectiones spasmodicas stomachi, pulmonum et aliorum organorum nil ferè valerent, dum maxima ex solo opii grano perciperetur utilitas.

Sed quanta is non crearet mala, qui, duce hoc principio *ubi stimulus, ibi fluxus*, irritationes à causâ specificâità tractaret, ut sanguinis massam imminueret. Scopum nedùm attingeret, breviorem ne quidem efficeret morbum, ægrorumque vita maximo versaretur periculo.

In morbis typhosis, frustrà, irritationis infrigendæ causâ adhiberentur venæ sectiones vel sanguisugæ; imò debilitatus æger non jam is esset qui longo non cederet morbo cujus cursus omnem vincit medicinam.

Quis jam variolas sic debellavit ut dicere possit se suis remediis illarum cursum paulò breviorem fecisse. Nùm jàm sanguisugæ bonos ità sortitæ sunt effectus ut rhumatisma quatuor vel quinque aut sex non duraverit hebdomadas.

Innumera hìc afferre possem exempla quæ contrà exclusorium cujusvis doctrinæ usum dimicant. Scabies, syphilis, impetigines, eodem modo tractari non dignantur. Sed quid multa? Vix aliquem reperias qui nonnullos viderit ægros nec, sibi hoc persuasum habeat. Quin nedùm ea ex meâ opinione sint deducenda, illam potiùs stabilire deberent. Quàm etenim absurdum foret irritationem morbidam semper pathologicæ augmentum, ideòque eumdem habere, dùm therapeïa hæc singulâ die evertit principia. Si irritatio morbida una

utrinque vasa capillaria affectionis sedes; utrinque eodem modo affluunt liquida. Variis tantùm sub fine notantur phœnomenis; nunc è vasis evadit sanguis; nunc autem remanent liquida, undè tumor aliaque inflammationis symptomata. At quid est causæ cur in uno erumpat, in altero autem retineatur sanguis? Primò respiciendum est ad varios irritationis gradus, celeritatemque quâcum ad incrementum perveniat. Insuper omnis ut eximatur dubitatio, necesse est sciamus quantùm in organa valeat idiosyncrasia, quantaque sit vitalis proprietas pro tempore, ætate, locis, temperamento (2).

Non hìc propria hemorrhagiam inflammationemque comitantia signa referam; nobis sat erit animadvertere hanc irritationem, si peculiaria pateant symptomata, à quâvis aliâ secernendam esse. Quòd si vel minima notare discrimina nobis propositum esset, varii ejusdem partis phlegmasiæ exitus, nos ad irritationem inflammatoriam iterùm dividendam ducerent. An, v. g. ejusdem naturæ existimandæ sunt quatuor peritonæi phlegmasiæ, quarum, una resolutione, secunda suppuratione, tertia adhærentiâ, quarta denique gangrena terminatur.

Quo ex irritationum genere oriuntur innumeræ istæ sympathiæ inter quas medicus vix primariam detegit affectionem. Ex omnibus eminet dolor; primo aspectu illud locale dixeris phænomenon; at res, ut consideratè docet Broussais, fieri nequit, dùm sensibilitas cerebri sit functio. Per nervos etenim ad cerebrum transfertur excitatio irritatiove, quum pars quæcunque inflammatione laborat. Conscius tùm æger dolorem ad textum morbidè affectum refert; quod adeò verum ut levi phlegmasiâ sæpissimè inscius afficiatur. Qui apoplexiâ sideratur, cutis textum emplastro vesicanti inflammatum

---

(2) « L'évacuation du sang qui forme la congestion dépend de la disposition organique de la partie et de ce que ses pores extérieurs sont moins irrités que les vaisseaux capillaires de son intérieur. (Broussais, de l'Irritation considérée sous le rapport physiologique et pathologique, pag. 49.)

non sentit. Vix autem systema nervosum ad physiologicum rediit statum, cum lancinans percipitur dolor, dùm tamen inflammatio sat sit gravis ut in encephalon agere valeat. Sic dolor præstantissimum fit signum quo dignoscitur inflammatio, imprimis quùm hæc latens invadit organum, ità ut nec tumor nec rubor appareat.

Cui ordini omnia ferè referenda sunt præcepta quæ nobis clarissimus tradidit Broussais, immortale istud medicinæ decus (1).

Hìc notandum est irritationes inflammatorias dari specificas quæ à cæteris toto cœlo differunt. Hoc nomine has dico quibus originem dat causa propria, quasque sua comitantur symptomata irritationi vulgari non communia. Tales sunt variolæ, herpes, syphilis, etc. His in casibus irritatio phænomena procreat cuique propria. Quippè tùm in variolarum pustulis, cùm in venereis, adest inflammatio, sed quàm varia symptomata! An pustulam malignam causa communis unquàm procreavit? Frustrà pars quæcunque cutis vel manu vel corpore oleoso fricabitur, nunquàm de quâ agitur nascetur irritatio; non magis valebit aeris frigidi contactus. Necesse est accedat causa specialis naturæ cujusdam nos adhùc fugientis.

6.° *Ulcerativas irritationes.* Hæ primo intuitu ad inflammatorias referendæ videntur; permulta etenim ulcera inflammationem sequuntur; omnes ferè apud auctores exempla legimus; suo Broussais in optimo opere cui titulus *Histoire des phlegmasies chroniques*, scribit se intestina quin et stomachum ipsum, prægressâ inflammatione, sæpissimè ulceribus sulcata invenisse. E phlegmonibus frequenter oriuntur ulcera. Aliis autem in casibus adeò rapidè formantur, ut inflammatio præcedere non potuerit. Sic videmus (2) infantem, tribus vix horis post multam uvam comesam elapsis, obiisse, stomachumque, secato cadavere, uno loco ulceratum esse.

---

(1) Vide : Broussais, Examen des Doctrines médicales, tom. 1, prop.; et son Traité de Physiologie.

(2) Dictionnaire des Sciences médicales, tom. 40, pag. 326.

eademque sit, uno eodemque modo tractanda est et libri de materie medicâ qui inutilia nocivaque immeritò jactitant medicamina, unicam tantùm remediorum speciem admissuri sunt. Sed non ità res se habent. Ardentissimi irritationis milites nondùm affectionis intermittentes veras syphilitidemque nisi per cinchonam et hydrargiri præparatâ curarunt. Quamobrem toto animo contendunt ut quorumdam medicaminum virtutes sibi explicent. Revulsivum dictites corticem Peruvianum per me licet; at si febres intermittentes ejusdem forent indolis ac irritatio inflammatoria tractûs intestinalis, frustrà illum adhiberes, malumque nedum cederet, mirum in modum augeretur.

Morbidam igitur irritationem plerisque in casibus non ejusdem naturæ ac irritationem physiologicam habemus, quia : 1.° phœnomena dissimilia apparent; 2.° novæ et nonnunquàm physiologicis oppositæ oriuntur sympathiæ; 3.° non semper sibi constat irritatio morbida; 4.° tandem dissimilia confugiendum est ad remedia.

En mea de irritationis morbidæ naturâ opinio. Errore forsàm laborat, observata tamen illam non improbant. Utcumque res adsit, spero fore ut veritatis studium ex hoc opusculo solum pateat, non autem ridicula cujuscumque auctoris cogitata contemnendi voluntas.

TANTUM.

# POSITIONES.

I.

Una tantùm admittenda est proprietas vitalis.

II.

Physiologia non unica pathologiæ basis esse potest.

III.

Eclectismus in medicinâ admittendus.

IV.

Circulatio capillaris cordi non subjecta.

V.

*La fièvre n'est qu'une irritation du cœur primitive ou secondaire.* (Broussais, pag. 112.)

VI.

Stomachus non unica febrium intermittentium sedes.

VII.

Non metastasi lacteæ tribuenda est materia quam in abdomine post peritonitidem puerperam reperimus.

VIII.

Optima interdùm medicina medicinam non facere.

IX.

Hoc mihi persuasum habeo fracturas ossium solo situ, absque apparatu, in genere curari non posse.

X.

In genere methodus recto-vesicalis, cum calculus ex hominis vesicâ extrahendus est, aliis anteponenda.

*Vidi nihilque reperi quod*
§ 56 *legis Acad. adversetur.*
J. L. KESTELOOT,
*Fac. Medic. Prof. ord. h. f. Dec.*